

65. Respondet Confessio nostra bifariam 1. Corpus & sanguinem Christi verè adesse: 2. distribui vescentibus in cœna Domini.

66. Quoad prius membrum, negant Sacramentarij Corpus Christi & sanguinem verè præsentia adesse visibilibus Elementis: Nos fidem habentes verbis Christi, cum confessione nostra Affirmativam per omnia tenemus & defendimus.

67. Rationes autem & argumenta Affirmativæ nostræ ista ponimus. 1. Christus jussit Apostolos corpus suum accipere & manducare: Accipite inquit, comedite: Hoc est Corpus meum. Ergò, illud verè præsens etiam illis exhibuit: Si non exhibuit, falsum erit, quod Christus promisit, se daturum illis manducandum Corpus suum cum pane, & bibendum sanguinem cum vino. At hoc blasphemum. Stabit ergo illud prius.

68. II. Quodlibet Sacramentum, si modò sit integrum, constat utraque re præsentia, signo & signato. In Eucharistia Deus exhibet integrum Sacramentum. Ergo non tantùm signum, sed & rem signatam, Corpus nimirum & sanguinem Christi verè exhibet.

69. III. Si corpus Christi (ex concessione etiam Adversariorum) in S. cœna verè præsens nobis offertur, præsentia illa, aut de ipsa ἁοία, substantia & veritate corporis Christi erit intelligenda: aut de efficacia tantùm, virtute & merito. Atqui